QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-sextâ Junii.

M. JOANNE CORDELLE, Doctore Medico, Præside.

An potione è theriacâ, à quacunque febre malignâ præcavetur?

I.

TANTAM inter calamitatum segetem, quibus tota fere gallia nuper vexabatur, frequentioribus exemplis quotidie experiebamur, febrem malignam, maximas edere strages, communique furore, totas pervagari Urbes ac provincias; & truculentiâ, malignitatè, periculosoque eventu, omnes sive reges sive inopes terrere. Maligna febris non unius morbi nomen, sed diversa omnium pene est febrium infestissima, aliquando contagiosa, ab eâ nihil induciarum, fraudis vero plurimum, plerumque enim dum clementiæ similitudine blanditur, repente ægros in ipsis quas struit insidiis jugulat, ferocitate exultans, rapit, sternit, latéque vastat: Tamen posito furore sæpius ad salutem convertitur, tametsi nec spiritibus, nec humoribus, nec Cordi ipsi parcat. Frequenter facili, sed tetro spiritu, urinisque, substantiâ, colore, ac sedimento valentium similibus, interdum & miti calore rudioribus imponit; pulsu (qui suis ictibus vitæ gubernacula temperat) frequenti, incertóque, minus: minus & ipsis in quibus totus homo est oculis aut micantibus, aut torvis, aut pene extinctis, & cum reliquo vultu squallentibus; his si adsint fœtidus sudor, inquies, vomitus, syncope, dolor capitis, quique alliget artus languor & sopor, aut nares stillent sanguine: vel si absint maligna

exanthemata, prodromi ac testes optimi non adumbratam, sed expressam malignæ febris effigiem indicabis; & statues.

II.

EXTERNÆ internæque causæ ad istam malignitatem excitandam conveniant necesse est, quæ foris illabuntur, neque nocente cælo devocandæ tantum, neque à truci Martis spiritu, neque ab arcano influxu, neque ab ignitis cometis nequidem id mali portendentibus, neque à sparso veneno deducendæ; sed à fœcundissimâ illâ morborum procreatrice aëris iniquioris putredine excellenti: Is sive sit perversâ spirantium ventorum, vel forte unius plumbei austri aurâ inquinatus, sive diuturno hyemis tepore, assiduisque imbribus, perniciose depravatus sit; sive à sentinis; cænosisque specubus, disjectisque passim cadaveribus labem acceperit, simul atque per conspicuas, & quæ sensum fugiunt vias infert se in viventium corpora, facile quidquid contraxit vitii comportat, quocunque penetrat, nec tantum omnes quibus triste virus afflat: febre mulctat malignâ, sed eos duntaxat qui jam aliquam ægrotandi causam, suo sinu gerebant; ut nec ab his inficiuntur quicunque exhalatam per corporis labefactati spiramenta tetram mephitim contagione hauserunt, perinde nimirum ut cujus corpus affectum est, ita aut domitum virus exuit, aut ab eo contaminatum ægrotat, variique existunt casus, mores, & eventus morbi.

III.

INTER homines tanti mali labe promiscue jactari obnoxios, eos potissimum numerabis quibus ex pravo, uberiori, vel male confecto è frugibus, fructibus aut plantis male coctis, aut ab animalibus male sanis, miserè propter rerum inopiam ut nuper contigit, alimento desumptis; reses impuritas plurima, clam cum ipsis visceribus æstuat; & quibus tenuiora excrementa tentato per cæcos ductus exitu prohibita, atque in serum acre demutata, toto corpore luxuriantem polluunt sanguinem, qui obscœnioris putredinis labe aspersus ut primum incandescit, flammamque in vitæ arcem jactat, illâ statim correptum corpus universum impuris facibus ardet, miseréque consumitur. Summæ istius putredinis intimæ, quæ nihil aliud est quam succorum à proprio temperamento recessus propè quantus rerum ad ruinam festinantium, tanta est pernities, ut aliquando citra ullam conspur-

cati aëris aſpirationem, maligna naſcatur febris, pro vario ad quem aſcendit gradu durior, aut mitior. Propterea ad eam proclives ſunt qui peregrino humore ſcatent; magiſque ubi calorem conduplicat æſtas, & proniores ſunt juvenes, ſenibus; ſanguinei, melancolicis; intemperantes, ſiccis.

IV.

GRAVITER hallucinantur qui potione ex theriacâ tanquam ſpecifico ac ſingulari alexipharmaco tanti mali vim eludere, ac declinare contendunt; quaſi parum ſit venarum tabum manu liberali profundere, igniſque latentis materiam, ac reliquam illuviem, omni arte detrahere tam diaphoreticis, ſi à causâ externâ, quam catharticis, ſi ab internâ; ejuſque flammam magnâ temperati potus vi comprimere, ac in ipſis incunabulis ſuffocare; poſterior ætas quo ingenioſius hominum ſaluti proſpicere videretur, nobilius operoſiuſque ſervaret ὀρθοςάδιον, adhibuit etiam aurum, uniones, ſaphiros, ſmaragdos, alioſque lapides precioſos. Admovit & animalium ſaniem, vomicam, calculos, cornua, dentes, ſtrigmenta, maris ejectamenta, ipſam quam calcamus terram, quin progreſſa longius fero morbo, ipſa venenata animalia, Bufones, Araneas etiam ex collo tanquam ad oſtentationem pendentia, oppoſuit. Tot inter merces ex his luxurioſe conflatas, ſplendidi nominis confectiones innumeras, quibus morbi appropinquatione trepidis, ſuaque omnia ut vivant incolumes daturis, credulis illudunt vafri, ſedet quaſi princeps & regina theriaca eorum ex quibus coaluit numero, pompâ, atque apparatu percelebris.

V.

HARUM itaque febrium malignarum in quibus ſpiritus non tantum, ſed etiam humores & partes dicam omnes quaſi incendio, ſulphuris exaltatione deflagrare videntur, dum latet adhuc ignis ſub cinere doloſo, ſtrages avertere cupienti, potum è theriacâ ſi objicias, latebit ſancita à medicorum phœbo lex quâ morbum quemque jubet oppugnare præſidiis omni qualitate ipſi adversâ ornatis. Strues eſt medicamentorum calidorum, ſiccorum, acrium, ſtirpium, ſeu petitarum undelibet aliarum rerum plurimo ſale eoque volatili multo, refertarum, quæ totidem quaſi incentivis hominem inter medios ignes verſantem comburet, febriſque cauſam ut furenter efferatur, magis ac

magis instigabit, nullumque cordi robur addit, immo spiritus dissoluit. Ea tantum hominem servabu t sanum & à quacunque febre malignâ vindicabunt, quæ ipsius laudabilem temperiem cum justâ spirituum copiâ, ac debitâ partium structurâ, conservare apta nata sunt, ac facile & cito in sanguinem abeunt laudabilem; ut sunt alimenta εὔχυμα ϗ πολύτροφα, è jusculis è carnibus tenellis, avium, & quadrupedum quorumdam in his provinciis familiarium. Nec displicet potionum usus quæ levi aciditate temperatæ, morbi causæ vim frangunt, ut nobis per belle se se offerunt in succis limonum, granatorum, berberis, oxyacantæ, oxalidis, melissæ, vitis, arantiorum, aliorumque quamplurimorum, è plantis aut fructibus feliciter expressis, qui putredinis lui, non mediocriter valentium delectatione adversantur, & latentibus igniculis qui mox febrem malignam perniciosam usu potionis è theriacâ accenderent, subveniunt, & extingunt, & cor quasi maceratum recreant; sicque servatâ vivendi rectâ ratione & alimentorum, robori caloris nativi proportione, hominem servabis ὀρθοστάδιον, à cujusque febris malignæ metu cautum, quantum in viro prudenti erit, ac securum.

Ergo potione è theriacâ, à quacunque febre malignâ non præcavetur.

Proponebat Parisiis ARMANDUS JOSEPHUS COLLOT, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.